

## Anhang.

### Die Vesper-Psalmen an Sonn- und Feiertagen.

#### Sonntags-Vesper.

Deus in adjutorium meum intende. Domine ad adjuvandum me festina. Cloria Patri et Filio et Spiritui Sancto; sicut erat in principio, et nunc et semper, et in sæcula sæculorum, amen. Alleluja. (Laus tibi Domine rex æternæ gloriæ.)

#### Ps. 109.

Dixit Dominus Domino meo: \* Sede a dextris meis:  
Donec ponam inimicos tuos, \* scabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuae emitte Dominus ex Sion: \* dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuae in splendoribus sanctorum: \* ex utero ante luciferum genui te.

Juravit Dominus et non pœnitabit eum: \* Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

Dominus a dextris tuis, \* confregit in die iræ suæ reges.

Judicabit in nationibus, implebit ruinas: \* conquassabit capita in terra multorum.

De torrente in via bibet: \* propterea exaltabit caput.  
Gloria Patri &c.

#### Ps. 110.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo: \* in consilio justorum et congregatiōne.

Magna opera Domini: \* exquisita in omnes voluntates ejus.

— II —

Confessio et magnificentia opus ejus: \* et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors et miserator Dominus: \* escam dedit timentibus se.

Memor erit in sæculum testamenti sui: \* virtutem operum suorum annuntiabit populo suo.

Ut det illis hæreditatem gentium: \* opera manuum ejus veritas et judicium.

Fidelia omnia mandata ejus, confirmata in sæculum sæculi, \* facta in veritate et æquitate.

Redemptionem misit populo suo: \* mandavit in æternum testamentum suum.

Sanctum et terribile nomen ejus: \* initium sapientiae timor Domini.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum: \* laudatio ejus manet in sæculum sæculi.

Gloria &c.

Ps. III.

Beatus vir, qui timet Dominum: \* in mandatis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus: \* generatio rectorum benedicetur.

Gloria et divitiae in domo ejus: \* et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Exortum est in tenebris lumen rectis: \* misericors, et miserator, et justus.

Jucundus homo qui miseretur et commodat: disponet sermones suos in judicio: \* quia in æternum non commovebitur.

In memoria æterna erit justus: \* ab auditione mala non timebit.

Paratum cor ejus sperare in Domino, confirmatum est cor ejus: \* non commovebitur, donec despiciat inimicos suos.

Dispersit, dedit pauperibus; justitia ejus manet in sæculum sæculi: \* cornu ejus exaltabitur in gloria.

Peccator videbit et irasceretur, dentibus suis fremet et tabescet: \* desiderium peccatorum peribit.

Gloria &c.

— III —

Ps. II2.

Laudate pueri Dominum: \* laudate nomen Domini.  
Sit nomen Domini benedictum, \* ex hoc nunc et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occasum, \* laudabile nomen Domini.

Excelsus super omnes gentes Dominus, \* et super cœlos gloria ejus.

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat,  
\* et humilia respicit in cœlo et in terra?

Suscitans a terra inopem, \* et de stercore erigens pauperem:

Ut collocet eum cum principibus, \* cum principibus populi sui.

Qui habitare facit sterilem in domo, \* matrem filiorum lætantem.

Gloria &c.

Ps. II3.

In exitu Israël de Aegypto, \* domus Jacob de populo bárbaro:

Facta est Judæa sanctificatio ejus, \* Israël potestas ejus.

Mare vidit et fugit: \* Jordanis conversus est retrorsum.

Montes exultaverunt ut arietes: \* et colles sicut agni ovium.

Quid est tibi mare, quod fugisti: \* et tu Jordanis, quia conversus es retrorsum?

Montes exultastis sicut arietes: \* et colles sicut agni ovium?

A facie Domini mota est terra, \* a facie Dei Jacob.

Qui convertit petram in stagna aquarum, \* et rupem in fontes aquarum.

Non nobis Domine, non nobis: \* sed nomini tuo da gloriam.

Super misericordia tua et veritate tua: \* nequando dicant gentes: ubi est Deus eorum?

Deus autem noster in cœlo: \* omnia quæcunque voluit fecit.

— IV —

Simulacra gentium argentum et aurum, \* opera manuum hominum.

Os habent, et non loquentur: \* oculos habent, et non videbunt.

Aures habent, et non audient: \* nares habent, et non odorabunt.

Manus habent, et non palpabunt: pedes habent, et non ambulabunt: \* non clamabunt in gutture suo.

Similes illis fiant, qui faciunt ea: \* et omnes, qui confidunt in eis.

Domus Israël speravit in Domino: \* adjutor eorum et protector eorum est.

Domus Aaron speravit in Domino: \* adjutor eorum et protector eorum est.

Qui timent Dominum, speraverunt in Domino: \* adjutor eorum et protector eorum est.

Dominus memor fuit nostri: \* et benedixit nobis.

Benedixit domui Israël: \* benedixit domui Aaron.

Benedixit omnibus, qui timent Dominum, \* pusillis cum majoribus.

Adjiciat Dominus super vos, \* super vos et super filios vestros.

Benedicti vos a Domino, \* qui fecit cœlum et terram.

Cœlum cœli Domino: \* terram autem dedit filiis hominum.

Non mortui laudabunt te Domine: \* neque omnes qui descendant in infernum.

Sed nos qui vivimus, benedicimus Domino, \* ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Gloria &c.

Lösgesang der Mutter Gottes (Luc. 1).

Magnificat \* anima mea Dominum.

Et exultavit spiritus meus \* in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: \* ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens est, \* et sanctum nomen ejus.

— V —

Et misericordia ejus a progenie in progenies, \* timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo: \* dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede, \* et exaltavit humiles.

Esurientes implevit bonis: \* et divites dimisit inanes.

Suscepit Israël puerum suum, \* recordatus misericordiae sue.

Sicut locutus est ad patres nostros, \* Abraham, et semini ejus in saecula.

Gloria &c.

Die Vesper-Psalmen an Muttergottes-Festen.

Erster Psalm: Dixit Dominus.

Zweiter Psalm: Laudate pueri.

Ps. 121.

Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi: \* in domum Domini ibimus.

Stantes erant pedes nostri, \* in atriis tuis Jerusalem.

Jerusalem, quae ædificatur ut civitas: \* cuius participatio ejus in idipsum,

Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini, \* testimonium Israël, ad confitendum nomini Domini.

Quia illuc sederunt sedes in judicio, \* sedes super domum David.

Rogate quae ad pacem sunt Jerusalem: \* et abundantia diligentibus te.

Fiat pax in virtute tua: \* et abundantia in turribus tuis.

Propter fratres meos et proximos meos, \* loquebar pacem de te.

Propter domum Domini Dei nostri, \* quæsivi bona tibi.

Gloria &c.

Ps. 126.

Nisi Dominus ædificaverit domum, \* in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.

Nisi Dominus custodierit civitatem, \* frustra vigilat qui custodit eam.

— VI —

Vanum est vobis ante lucem surgere: \* surgite post quam sederitis, qui manducatis panem doloris.

Cum dederit dilectis suis somnum: \* ecce hæreditas Domini filii: merces fructus ventris.

Sicut sagitte in manu potentis, \* ita filii excusorum.

Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis: \* non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.

Gloria &c.

Ps. 147.

Lauda Jerusalem Dominum, \* lauda Deum tuum Sion.

Quoniam confortavit seras portarum tuarum: \* benedixit filiis tuis in te.

Qui posuit fines tuos pacem: \* et adipe frumenti satiat te.

Qui emittit eloquium suum terræ: \* velociter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam: \* nebulam sicut cinerem spargit.

Mittit crystallum suam sicut buccellas: \* ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?

Emitte verbum suum et liquefaciet ea: \* flabit spiritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annuntiat verbum suum Jacob: \* justitias et iudicia sua Israël.

Non fecit taliter omni nationi: \* et iudicia sua non manifestavit eis.

Gloria &c.

Vesper-PSalmen an den Apostel-Festen.

Erster Psalm: Dixit Dominus.

Zweiter Psalm: Laudate pueri.

Ps. 115.

Credidi, propter quod locutus sum: \* ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: \* omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino, \* pro omnibus quæ retribuit mihi?

— VII —

Calicem salutaris accipiam: \* et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus:  
\* pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.

O Domine, quia ego servus tuus: \* ego servus tuus,  
et filius ancillæ tue.

Dirupisti vincula mea: \* tibi sacrificabo hostiam  
laudis, et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis po-  
puli ejus: \* in atriis domus Domini, in medio tui Jerusalem,

Gloria &c.

Ps. 125.

In convertendo Dominus captivitatem Sion: \* facti  
sumus sicut consolati.

Tunc repletum est gaudio os nostrum: \* et lingua  
nostra exultatione.

Tunc dicent inter gentes: \* magnificavit Dominus fa-  
cere eum eis.

Magnificavit Dominus facere nobiscum: \* facti sumus  
laetantes.

Converte Domine captivitatem nostram, \* sicut tor-  
rens in austro.

Qui seminant in lacrymis, \* in exultatione metent.

Euntes ibant et flebant, \* mittentes semina sua.

Venientes autem venient cum exultatione, \* portantes  
manipulos suos.

Gloria &c.

Ps. 138.

Domine probasti me, et cognovisti me: \* tu cogno-  
visti sessionem meam et resurrectionem meam.

Intellexisti cogitationes meas de longe: \* semitam  
meam et funiculum meum investigasti.

Et omnes vias meas prævidisti: \* quia non est sermo  
in lingua mea.

Ecce Domine tu cognovisti omnia, novissima et anti-  
qua: \* tu formasti me, et posuisti super me manum tuam.

— VIII —

Mirabilis facta est scientia tua ex me: \* confortata  
est, et non potero ad eam.

Quo ibo a spiritu tuo? \* et quo a facie tua fugiam?  
Si ascendero in cœlum, tu illic es: \* si descendero  
in infernum, ades.

Si sumpsero pennas meas diluculo, \* et habitavero  
in extremis maris;

Etenim illuc manus tua deducet me: \* et tenebit me  
dextera tua.

Et dixi: forsitan tenebræ conculcabunt me: \* et nox  
illuminatio mea in deliciis meis.

Quia tenebræ non obscurabuntur a te, et nox sicut  
dies illuminabitur: \* sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus.

Quia tu possedisti renes meos: \* suscepisti me de  
utero matris meæ.

Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es: \*  
mirabilia opera tua, et anima mea cognoscit nimis.

Non est occultatum os meum a te, quod fecisti in oc  
culo: \* et substantia mea in inferioribus terræ.

Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo  
omnes scribentur: \* dies formabuntur, et nemo in eis.

Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus: \*  
nimis confortatus est principatus eorum.

Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur:  
\* exsurrexi, et adhuc sum tecum.

Si occideris Deus peccatores: \* viri sanguinum decli  
nate a me.

Quia dicitis in cogitatione: \* accipient in vanitat  
civitates tuas.

Nonne qui oderunt te Domine, oderam: \* et super  
inimicos tuos tabescbam?

Perfecto odio oderam illos: \* et inimici facti sunt mihi.

Proba me Deus, et scito cor meum: \* interroga me,  
et cognosce semitas meas.

Et vide, si via iniquitatis in me est: \* et deduc me  
in via æterna.

Gloria &c.

— IX —

Die Vesper-Psalmen von einem heiligen Märtyrer sind:  
1. Dixit Dominus, 2. Confitebor, 3. Beatus vir, 4. Laudate  
pueri, 5. Credidi.

Die Vesper-Psalmen von einem heil. Papste oder Bischofe  
sind: 1. Dixit, 2. Confitebor, 3. Beatus, 4. Laudate pueri,  
5. Memento.

Ps. 131.

Memento Domine David, \* et omnis mansuetudi-  
nis ejus.

Sicut juravit Domino, \* votum vovit Deo Jacob.

Si introiero in tabernaculum domus meæ, \* si ascen-  
dero in lectum strati mei,

Si dedero somnum oculis meis, \* et palpebris meis  
dormitionem,

Et requiem temporibus meis: donec inveniam locum  
Domino, \* tabernaculum Deo Jacob.

Ecce audivimus eam in Ephrata: \* invenimus eam in  
campis silvæ.

Introibimus in tabernaculum ejus: \* adorabimus in  
loco, ubi steterunt pedes ejus.

Surge Domine in requiem tuam, \* tu et arca sanctifi-  
cationis tuæ.

Sacerdotes tui induantur justitiam: \* et sancti tui ex-  
ultent.

Propter David servum tuum: \* non avertas faciem  
Christi tui.

Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur  
eam: \* De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodierint filii tui testamentum meum, \* et testi-  
monia mea haec, quae docebo eos:

Et filii eorum usque in saeculum, \* sedebunt super  
sedem tuam.

Quoniam elegit Dominus Sion: \* elegit eam in habi-  
tationem sibi.

Haec requies mea in saeculum saeculi: \* hic habitabo,  
quoniam elegi eam.

Viduam ejus benedicens benedicam: \* pauperes ejus saturabo panibus.

Sacerdotes ejus induam salutari: \* et sancti ejus exultatione exultabunt.

Illuc producam cornu David: \* paravi lucernam Christo meo.

Inimicos ejus induam confusione: \* super ipsum autem effloreat sanctificatio mea.

Gloria &c.

Die Vesper-Psalmen von einem heiligen Bekennner sind:

1. Dixit,
2. Confitebor,
3. Beatus,
4. Laudate pueri und
5. Laudate Dominum.

Ps. 116.

Laudate Dominum omnes gentes: \* laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus: \* et veritas Domini manet in aeternum.

Gloria &c.

Die Vesper-Psalmen von heil. Jungfrauen und Frauen sind wie an Marienfesten.

An den vier Weihnachtstagen sind die Psalmen: 1. Dixit, 2. Confitebor, 3. Beatus vir, 4. De profundis, 5. Memento.

Ps. 120.

De profundis clamavi ad te Domine: \* Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes, \* in vocem deprecationis meae.

Si iniuriae observaveris Domine: \* Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: \* et propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: \* speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem, \* speret Israël in Domino.

— XI —

Quia apud Dominum misericordia: \* et copiosa apnd  
eum redemptio.

Et ipse redimet Israël, \* ex omnibus iniquitati-  
bus ejus.

Gloria &c.

Am Feste der Beschneidung des Herrn sind die Psalmen  
wie an Marienfesten.

Am Feste der Erscheinung des Herrn sind die Psalmen  
wie von hh. Bekennern.

Am den Östertagen — wie am Sonntage.

Am Feste der Himmelfahrt Jesu — wie von hh. Bekennern.

Am den Pfingsttagen dieselben Psalmen.

Am Feste der h. Dreifaltigkeit — wie am Sonntage.

Am Fröhnleidnams-Feste sind die Psalmen: 1. Dixit,  
2. Confitebor, 3. Credidi, 4. Beati omnes, 5. Lauda Je-  
rusalem.

Ps. 127.

Beati omnes qui timent Dominum, \* qui ambulant in  
viis ejus.

Labores manuum tuarum quia manducabis: \* beatus  
es, et bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abundans, \* in lateribus do-  
mus tuae.

Filii tui sicut novellæ olivarum, \* in circuitu men-  
sae tuae.

Eece sic benedicetur homo, \* qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion: \* et videoas bona  
Jerusalem omnibus diebus vitae tuae.

Et videoas filios filiorum tuorum, \* pacem super Israël.

Gloria &c.

Am Allerheiligen-Feste sind die Psalmen: 1. Dixit, 2. Con-  
fitebor, 3. Beatus vir, 4. Laudate pueri, 5. Credidi.

Am Kirchweih-Feste: 1. Dixit, 2. Confitebor, 3. Beatus  
vir, 4. Laudate pueri, 5. Lauda Jerusalem.

## Die Complet.

*S.* Converte nos, Deus salutaris noster.

*Ch.* Et averte iram tuam a nobis.

*S.* Deus in adjutorium &c.

### Ps. 4.

Cum invocarem, exaudiuit me Deus justitiae meae: \*  
in tribulatione dilatasti mihi.

Miserere mei: \* et exaudi orationem meam.

Fili hominum usquequo gravi corde? \* ut quid dili-  
gitis vanitatem, et quaeritis mendacium?

Et scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum  
suum: \* Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum.

Irascimini, et nolite peccare: \* quae dicitis in cordi-  
bus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

Sacrificate sacrificium justitiae, et sperate in Domino  
\* Multi dicunt: Qui ostendit nobis bona?

Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: \*  
dedisti laetitiam in corde meo.

A fructu frumenti, vini, et olei sui \* multiplicati sunt.  
In pace in idipsum \* dormiam et requiescam.

Quoniam tu Domine singulariter in spe \* consti-  
tuisti me.

Gloria &c.

### Ps. 30.

In te Domine speravi, non confundar in aeternum: \*  
in justitia tua libera me.

Inclina ad me aurem tuam, \* accelera ut eruas me.  
Esto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii,  
\* ut salvum me facias.

Quoniam fortitudo mea, et refugium meum es tu: \*  
et propter nomen tuum deduces me, et enutries me.

Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi:  
quoniam tu es protector meus.

In manus tuas commendabo spiritum meum: \* redemisti  
me Domine Deus veritatis.

Gloria &c.

— XIII —

Ps. 90.

Qui habitat in adjutorio Altissimi, \* in protectione  
Dei coeli commorabitur.

Dicet Dominus: Susceptor meus es tu, et refugium  
meum: \* Deus meus sperabo in eum.

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, \*  
et a verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi: \* et sub pennis ejus  
sperabis.

Scuto circumdabit te veritas ejus: \* non timebis a ti-  
more nocturno.

A sagitta volante in die, a negotio perambulante in  
tenebris: \* ab incursu, et daemonio meridiano.

Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris  
tuis: \* ad te autem non appropinquabit.

Veruntamen oculis tuis considerabis: \* et retributio-  
nem peccatorum videbis.

Quoniam tu es Domine spes mea: \* altissimum po-  
suisti refugium tuum.

Non accedat ad te malum: \* et flagellum non appro-  
pinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis suis mandavit de te: \* ut custo-  
diant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te: \* ne forte offendas ad lapi-  
dem pedem tuum.

Super aspidem et basiliscum ambulabis: \* et concul-  
cabis leonem et draconem.

Quoniam in me speravit, liberabo eum: \* protegam  
eum, quoniam cognovit nomen meum.

Clamabit ad me, et ego exaudiam eum: \* cum ipso  
sum in tribulatione: \* eripiam eum, et glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum: \* et ostendam illi  
salutare meum.

Gloria &c.

Ps. 133.

Ecce nunc benedicite Dominum: \* omnes servi Domini:  
Qui statis in domo Domini, \* in atriis domus Dei  
nostrri.

— XIV —

In noctibus extollite manus vestras in sancta, \* et  
benedicite Dominum.

Benedicat te Dominus ex Sion, \* qui fecit coelum  
et terram.

Gloria &c.

Loblied Simeon's (Luc. 2).

Nunc dimittis servum tuum, Domine, \* secundum  
verbum tuum in pace.

Quia viderunt oculi mei \* salutare tuum,

Quod parasti \* ante faciem omnium populorum,

Lumen ad revelationem gentium, \* et gloriam plebis  
tuuae Israël.

Gloria &c.

Die 4 Antiphonen von der Mutter Gottes.

a. Im Advent bis Mariä Sichtmch.

Alma Redemptoris Mater, quae pervia coeli porta ma-  
nes, et stella maris, succurre cadenti, surgere qui curat  
populo.

Tu quae genuisti, natura mirante, tuum sanctum ge-  
nitorum, Virgo prius ac posterius, Gabrielis ab ore su-  
mens illud Ave, peccatorum miserere.

V. Angelus Domini nuntiavit Mariae:

R. Et concepit de Spiritu sancto.

Oremus.

Gratiam tuam quaesumus, Domine, mentibus nostris  
infunde: ut qui Angelo nuntiante, Christi Filii tui incarna-  
tionem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad  
resurrectionis gloriam perducamur; per eundem Christum  
Dominum nostrum. Amen.

V. Post partum virgo inviolata permansisti.

R. Dei genitrix, intercede pro nobis.

— XV —

Oremus.

Deus, qui salutis aeternae, beatae Mariae virginitate fœcunda, humano generi praemia praestitisti: tribue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitae suscipere, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

R. Amen.

b. Von Fichtmess bis Ostern.

Ave, regina cœlorum, ave Domina angelorum; salve radix, salve porta, ex qua mundo lux est orta: gaudete, Virgo gloria, super omnes speciosa: vale, o valde de cora, et pro nobis Christum exora.

V. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

R. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Oremus.

Concede, misericors Deus, fragilitati nostrae praesidium: ut qui sanctae Dei Genitricis memoriam agimus, intercessionis ejus auxilio a nostris iniquitatibus resurgamus, per eundem Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

c. Von Ostern bis Preisfaltigkeitsfest.

Regina cœli, laetare, alleluja. Quia quem meruisti portare, alleluja. Resurrexit sicut dixit, alleluja. Ora pro nobis Deum, alleluja.

V. Gaudete et laetare, Virgo Maria, alleluja.

R. Quia surrexit Dominus vere, alleluja.

Oremus.

Deus, qui per resurrectionem Filii tui Domini nostri Jesu Christi mundum laetificare dignatus es: praesta, quæsumus, ut per ejus genitricem Virginem Mariam perpetuae capiamus gaudia vitae. Per eundem Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

— XVI —

d. Vom Heiligtumsfest bis Advent.

Salve regina, mater misericordiae, vita, dulcedo, et  
spes nostra salve. Ad te clamamus exules, filii Evae. Ad  
te suspiramus gementes et flentes in hac lacrymarum  
valle. Eja ergo advocata nostra illos tuos misericordes  
oculos ad nos converte. Et Iesum benedictum fructum  
ventris tui nobis post hoc exilium ostende. O clemens, o pia,  
o dulcis Virgo Maria.

V. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosae Virginis  
Matris Mariae corpus et animam, ut dignum Filii tui habi-  
taculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante prea-  
parasti: da, ut cuius commemoratione laetamur, ejus pia  
intercessione ab instantibus malis, et a morte perpetua li-  
beremur. Per eundem Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

V. Divinum auxilium maneat semper nobiscum.

R. Amen.



dilecto, et  
Evae. Ad  
lacrymarum  
misericordes  
ructum ven-  
nens, o pia,

risti,


ae Virginis  
lli tui habi-  
erante pae-  
ar, ejus pia  
perpetua li-  
rum.

enun.



2/11/18

00



the scale towards document

etateae Mariae virginitate  
raestitisti: tribue, quae-  
re sentiamus, per quam  
ere, Dominum nostrum

Ostern.

omina angelorum; salve  
o lux est orta: gaude,  
iosa: vale, o valde de-

irgo sacra.  
hostes tuos.

ragilitati nostrae praesi-  
cis memoriam agimus,  
is iniquitatibus resurga-  
um nostrum.

tigkeitsfest.

i. Quia quem meruisti  
dixit, alleluja. Ora pro

maria, alleluja.  
re, alleluja.

Filii tui Domini nostri  
dignatus est: praesta,  
n Virginem Mariam per-  
er eudem Christum Do-